



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XXVII. In Titul. XXVII. De Clerico Excommunicato, Deposito, Vel
Interdicto Ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

QUÆSTIO XXVII.
IN TITUL. XXVII. DE CLERICO EXCOM-
MUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO
MINISTRANTE.

1118



Hoc titulo agitur de pœnis Clericorum, qui ministrant non obstante censurâ, vel alio impedimento Canonico, quo prohibentur. Hinc not. 1. Clericum depositum, degradatum, vel suspensum, nihilominus solenniter per contemptum, & superbiam, adeoque præsumptuosè ministrantem, seu aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumentem, si monitus non desistat, excommunicari; & si nec sic desistat, per secularem potestatem ad invocationem Ecclesiæ, exilio puniri, c. 1. & 2. h. t. Not. 2. Sacerdotem, qui *sciens se excommunicatum* (excommunicatione majori) *vel aliàs interdicitum*, si celebret, vel se ingerat celebrationi divinorum, fieri irregularem; hoc est, in perpetuum ab officio sacerdotali deponi, ac beneficiis omnibus spoliari debere c. *Latores* 4. & c. *Fraternitati tue* 6. h. t. licet per solum rumorem, vel famam sciat se excommunicatum, quo tamen casu cum eo potest misericorditer dispensari c. *Illud Dominus*, h. t. Dixi. 1. *si sciat se excommunicatum*; nam si ignoravit, non fiet irregularis; hæc enim irregularitas est pœna; nisi forsitan ignorantia esset crassa, ac supina, & erronea, c. *Ad Apostolica*, h. t. Dixi. 2. *excommunicatione majori*: nam si excommunicatio sit tantum minor, licet celebrando peccet, non tamen fit irregularis, in quantum *celebratio* explicat usum activum, seu consecrationem Sacramenti, c. *fin.* h. t. Nam implicitus excommunicatione minori à solis Sacramentis Ecclesiasticis suspensus est, & quidem quoad se duntaxat, seu *quoad usum passivum*; non autem quoad alios, seu *quoad usum activum*; ut dicitur c. *fin.* de Cohabitatione Clericorum.

1119

Not. 3. Collationem beneficii, factam Clerico excommunicato, non tenere, & tali beneficium conferentem suspendi à be-

neficiorum collatione, c. *Postulatis* 7. h. t. nisi tempore collationis fuerit absolutus c. *Proposuit* 8. cod. Ex hoc colliges 1. quod censuram incurrens ipso jure fiat irregularis: Zoësius h. t. n. 1. & constat ex dictis; intellige tamen de incurrente censuram, *ac in eo statu exercente actum Ordinis sacri*, ut dicam infra, & quod ipso facto incuratur independenter à sententia Judicis etiam declaratoria (ut notat Zoësius, aliis tamen merito dissentientibus, ut diximus l. 1. Tit. 2. de Constit.) statim, ut factum, cui annexum est, commissum fuit; quod enim ipso facto incurritur, dicitur secum adferre executionem, lege illam operante, ut dicitur, c. *pastoralis*, de appell. nec requirit actum aliquem ab homine exercendum, c. *Cum secundum*, de Hæret. in 6. Colliges 2. cum irregularitas non incuratur, nisi in casibus jure expressis, c. *is, qui*, de sent. excom. in 6. sequi, irregularitatem non posse ab homine imponi, sed solum à jure; ita Zoësius h. t. n. 2. Hinc ulterius sequitur, in dubio, *an quis irregularitatem incurrerit?* non esse judicandum pro irregularitate, sed pro immunitate dubitantis; quia casus irregularitatis *dubia*, non potest dici casus *expressus*. Colliges 3. suspensum, *celebrantem*, esse irregularem c. 1. de sent. & re judic. in 6. Similiter celebrantem in loco interdicto, c. 18. de sent. excom. in 6. & à fortiori, si celebret persona interdicta. Sed adverte, ut prædicta irregularitas incuratur, requiri, quod exerceatur aliquis actus Ordinis majoris, qualis in Sacerdote est celebratio, in Diacono lectio Evangelii, in Sub-Diacono, lectio Epistolæ. Zoësius h. t. n. 10. intellige, si tales actus celebrentur *solenniter*.

Not. 4. Dictam irregularitatem non incurri à censurato exercente actum etiam solenniter, solius *jurisdictionis* spiritualis fori externi; non autem, *ordinis*. Hinc Parochus excommunicatus non fit irregularis.

latis, esto tunc assistat matrimonio, esto supponas, esse actum jurisdictionis voluntaria; secus, si confessiones audiat, si solenniter nuptias benedicat (cum hoc sit actus Sacerdotalis c. 1. & 2. de secund. nupt.) si Sacramenta dispenset; cum hoc similiter sit actus ordinis sacri.

Not. 5. Celebrantem solum actum minoris ordinis, dum est in statu censura, ob hoc non fieri irregularem; ita Suarez de censur. D. 42. S. 4. n. 15. quia poenae sunt restringendae; & illi actus communiter etiam exercentur à Laicis, & habetur c. si celebrat, 10. h. t. Contrarium tene videtur Barbosa in c. si quis, 2. h. t. n. 2. sed textus de excommunicatione *minori* nihil exprimit; imò ex illis verbis: *Quicumque cum eo communicaverit, similiter se sciat esse excommunicatum*, nihil sequitur contra clericum excommunicatum solum *minori* excommunicatione. Nam cum tali communicans, non propterea excommunicatur. Et ideo etiam ipse doctrinam nostram tenet in sequentibus, c. fin. h. t. n. 4. Nam excommunicatio minor non prohibet exercitium ordinis, quod non importat usum passivum Sacramentorum.

tuta *contra excommunicatum celebrantem divina officia*. Textus enim omnes, qui afferuntur à contrariis, ac enumerantur fuisse à Gonzalez in c. Clerici, 3. h. t. n. 1. nihil horum expriment; ergo excommunicatus celebrans pendente excommunicatione non manet irregularis. R. data majori; N. min. 1. quia cum Pontifici in c. Si celebrat, 10. h. t. proposita fuisset dubitatio, *an excommunicatus minori excommunicatione sit irregularis?* rescriptis, quod non, ibi: *nullius tamen notam irregularitatis incurrit; quia talis à solo usu passivo, seu perceptione Sacramentorum est remotus*; quo Pontifex solvit rationem dubitandi prudenter existimantium, & sententiarum tanquam certum, irregularitatem induci in excommunicatum excommunicatione majori, celebrantem pendente tali excommunicatione.

Secundò expressi juris est, suspensum celebrantem durante suspensione, irregularem fieri ex c. Apostolica 9. h. t. ubi suspensus pendente suspensione celebrans solum excusatur ab irregularitate, si se suspensum esse ignoravit, modo ignorantia non fuerit crassa, & supina; & c. 1. §. Sciturus, de re judicat. in 6. ibi: *ab executione officii per annum noverit se suspensum; sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet, secundum canonicas sanctiones reservata summo Pontifici*: Sed excommunicatus excommunicatione majori, suspensus est pro tempore, quo in ea persistit; ergo in jure expressum est, excommunicatum excommunicatione majori, durante excommunicatione, irregularem fieri.

1121 Dices: irregularitas tantum incurritur in casibus à jure expressis; c. Is, qui, 18. de sent. excom. in 6. ibi: *is qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta; vel qui praesentibus excommunicatis majori excommunicatione notatis, scienter celebrare praesumit* (licet in hoc temerariè agat) *irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit*; sed in nullo juris textu invenitur expressa irregularitas sta-



QVÆSTIO XXVIII.
IN TIT. XXVIII. DE CLERICO, NON ORDINATO MINISTRANTE.

1122 **H**ic universim agitur de delictis, eorumque poenis, qui exercent actum Ordinis, quem nunquam susceperunt. Quare R. 1. si Clericus in pertinentibus ad Ordinem, quem non suscepit, ministret

(v. g. si non ordinatus baptizaverit extra necessitatem,) deponendum esse, & non amplius ordinandum, per c. 1. h. t. Et ideo etiam actus minorum ordinatum exercens, quando in illis non est ordinatus, fit irregularis. Nam c. 1. indefinite loquitur: *si aliquod officium divinum exerceat non ordinatus*.

Hh 2

145;